



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 2. Ad quid tenetur, qui sub promissione matrimonii consanguineam  
violavit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

xit, cùm videret eum non posse licitè nuptias promittere; nisi fortè ipse ei persuaserit se facile obtenturum dispensationem, quo casu tenetur eam sibi comparare.

*Quid dicendum de seductore mulieris non Virginis?*

*Resp.* Patet ex dictis. Itaque qui viduam honestam, vel mulierem ab alio corruptam, sed quæ passim virgo habebatur, promissione matrimonii etiam simulata seduxit, tenetur eam ducere, si ipsa velit: nam hæc promissio facta est in modum contractûs, *do, ut facias*: cùm mulier det sui corporis usum, ut ille promissa perficiat. Quòd si fictè promisit, adhuc tenetur: quia tenetur tollere deceptionem, & injuriam illatam. Si autem vi, aut fraude sine tali promissione seduxit, tenetur antè sententiam judicis damna inde secuta compensare, cùm sit iniusta illorum causa.

*Q. 2. Ad quid tenetur, qui sub promissione matrimonii consanguineam violavit?*

Sic respondet De Lugo, Si impedimentum sit tale, in quo Papa nunquam soleat dispensare, ut inter consanguineos in I. Gradu transverso, vel certè in quo non soleat dispensare, nisi ex gravissima causa, qualis tunc non datur; tunc promissio est invalida propter impossibilitatem rei promissæ: ac proinde solum erit obligatio satisfaciendi, & resarciendi damnum

ali.

alio modo, si quod iniuste illatum est; quod non contingit, quando foemina non fuit decepta, nec vi aut metu coacta. Si vero impedimentum est tale, in quo dispensari soleat ex causa, qualis tunc intervenit, & matrimonium promissum fuit sub conditione dispensationis; tunc promissio illa obligat ad procurandam dispensationem: quia totum id, quod promittitur, licitum est, & possibile, nempe procurare dispensationem, & eam obtenta matrimonium contrahere. Imò idem censet, etiam si promissio matrimonii facta fuerit sine illa conditione; modo uterque impedimentum noverit: quia conditio dispensationis utpote necessariae subintelligebatur: nam conditio, quae de jure necessaria est ad valorem actus promissi, semper subintelligitur in ipsa promissione: taciti autem, & expressi eadem est vis. Porro si quis consanguineam per vim, metum, aut fraudem absque promissione matrimonii corrumpit, tenetur resarcire damna illata, & secuta: quia fuit iniusta causa illorum, copulam obtinendo per iniuriam. Quòd si aliter damnum resarcire non potest, nisi eam ducendo, tenetur sibi dispensationem procurare, ut eam ducat; nam qui tenetur ad damnum illatum resarciendum, tenetur adhibere media ad hoc necessaria. Ita De Lugo,

Q. 3. Ad quid tenentur adulteri?

Resp. 1. Si partus non sit secutus, adulter  
juxta